De lege

contra

Philosophos, inprimis Theophrastum,

auctore

Sophocle, Amphiclidae filio,

Athenis lata.

Scripsit

F. A. HOFFMANN,

Lycei Rastadini professor.

Carolsruhae,

Typis THEOPHILI BRAUNII.

1842.

De lege
contra
Philosophos, inprimis Theophrastum,
auctore
Sophocle, Amphiclidae filio,
Athenis lata.

Diogenes Laertius in vita Theophrasti [1]) haec tradit: τοιοῦτος δὲ ὢν ὅμως ἀπεδήμησε πρὸς ὀλίγον καὶ οὗτος καὶ πάντες οἱ λοιποὶ φιλόσοφοι, Σοφοκλέους τοῦ Ἀμφικλείδου νόμον εἰσενεγκόντος, μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ· εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. ἀλλὰ αὖθις ἐπανῆλθον εἰς νέωτα, Φιλίωνος [2]) τὸν Σοφοκλέα γραψαμένου παρανόμων, ὅτε καὶ τὸν νόμον μὲν ἄκυρον ἐποίησαν Ἀθηναῖοι, τὸν δὲ Σοφοκλέα πέντε ταλάντοις ἐζημίωσαν κάθοδόν τε τοῖς φιλοσόφοις ἐψηφίσαντο, ἵνα καὶ Θεόφραστος κατέλθῃ καὶ ἐν τοῖς ὁμοίοις ᾖ.

---

1) V, 38.

2) Ita scripsit Huebnerus cum Kuehnio ad Pollucem IX, 5. 42. t. II. p. 1005. quam lectionem confirmat Cod. Monac. Scribebatur Φιλλίωνος. Cod. Stephani Φαλλίωνος. Athenaeo XI, 15. p. 508, et XIII, 9. p. 610. dicitur Φίλων, quare Menagius et Clinto Fast. Hel. p. 169 ed. Oxon. nostro loco commendant Φίλωνος, quod expressit Ambrosius. Equidem probo lectionem Φιλίωνος atque hunc Philionem eundem, qui inter testes testamenti Theophrastei nominatur (Diog. Laert. V, 57.), fuisse ut opiner animus inclinat.

Rem eandem memorat *Pollux*[1]) his verbis: ἔστι δὲ καὶ νόμος Ἀττικὸς κατὰ τῶν φιλοσοφούντων γραφεὶς, ὅν Σοφοκλῆς Ἀμφικλείδου Σουνιεὺς εἶπεν, ἐν ᾧ τινα κατὰ αὐτῶν προειπὼν ἐπήγαγε, μὴ ἐξεῖναι μηδενὶ τῶν σοφιστῶν διατριβὴν κατασκευάσασθαι.

Apud *Athenaeum*[2]) haec sunt: καὶ Σοφοκλῆς δέ τις ψηφίσματι ἐξήλασε πάντας φιλοσόφους τῆς Ἀττικῆς, καθ' οὗ λόγον ἔγραψε Φίλων Ἀριστοτέλους γνώριμος, ἀπολογίαν ὑπὲρ τοῦ Σοφοκλέους Δημοχάρους πεποιηκότος, τοῦ Δημοσθένους ἀνεψιοῦ.

Etiam *Alexis comicus*[3]) rem, de qua sumus acturi, significat, dicens:

τοῦτ' ἔστιν Ἀκαδημία, τοῦτο Ξενοκράτης,
πολλ' ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ Δημητρίῳ
καὶ τοῖς νομοθέταις, διότι τοὺς τὰς τῶν λόγων,
ὥς φασι, δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις
εἰς κόρακας αἴρειν φασὶν ἐκ τῆς Ἀττικῆς.

Videmus ex his locis, legem a Sophocle, Amphiclidae filio, latam esse, qua philosophi, in his Theophrastus, clarissimus ejus aetatis philosophus, Athenis excedere cogebantur. Mirum vero videtur esse, quibus rebus fieri potuerit, ut Athenis, omnium doctrinarum inventricibus ac sede, philosophi pellerentur; neque defuerunt viri docti, qui hanc rem explicare atque illustrare studerent.

Ac primus quidem, quod sciam, *Jonsius* fuit, qui[4]) docet, rhetores philosophis sese Athenis opposuisse et Theophrasti aetate jam eo rem deduxisse, ut philosophi Athenis pellerentur, factumque illud esse Olymp. circiter CXX., quum paulo ante Demetrius Phalereus, philosophus Peripateticus, Athenis pulsus esset. Nam

1) IX, 5.
2) XIII, 9. p. 610.
3) apud Athenaeum l. l.
4) De scriptt. hist. philos. l. I, c. 17, 4. et l. I, c. 19, 1.

pulso Athenis Ol. CXVIII, 1. Demetrio Phalereo et libertate populo Atheniensi per Demetrium Poliorcetem reddita, quum in profugum et absentem Phalereum saeviri non posset, statuas ejus dejectas et philosophos, quorum fuisset patronus, exulare jussos esse.

Jonsium secutus est *Aug. Gottl. Richterus*[1]), qui et ipse hominis privati, qui temporum opportunitates captaverit, odio et calumnia factum illud esse putat Ol. CXVIII, 3. paulo post ejectum Demetrium Phalereum et restitutum a Demetrio Poliorceta popularem statum, quum exarderent factionum odia, mutuae civium accusationes et calumniae. Fuisse illa tempora Graeciae luctuosissima, quum reges in Alexandri hereditatem involantes factionibus fovendis et modo optimatum, modo plebis partibus, pro utilitate sua, tuendis civitates Graeciae tumultu ac seditione miscerent; nec potuisse ab illis turbis intactos esse et immunes philosophos. Verum interiisse illorum temporum monumenta tantum non omnia, ut adeo nihil diserti ac certi de illis eventis teneamus.

Haec fere docet Richterus cum Jonsio; reliquos scriptores, qui rei mentionem fecisse satis habent, praetermittam, utpote qui rei tractandae omnino nihil lucis afferant. Quum vero nec Richterus et Jonsius accurate satis ac perspicue eam exposuerint sententiamque suam certis argumentis, haustis ex veterum scriptis, comprobaverint, mihi, qui auctore *Zellio*, doctissimo atque humanissimo praeceptore quondam meo, de Theophrasti vita et scriptis accuratius disputare instituerim, facturus operae pretium sum visus, si de lege illa, qua Theophrastus et reliqui ejus aetatis philosophi Athenis expulsi sunt, certius aliquid attulerim.

---

1) In commentatione, quae inscribitur: „Literarum bonarum studia, tanquam imperiis infesta, perperam proscripta," in *Heynii* opusc. acad. tom. IV. p. 435 sq.

Graecia Macedonum imperio subjecta, Athenis, ut in omnibus fere civitatibus, duae erant factiones, quarum altera populi causam agebat, altera optimatum. Illa, cujus principes ac duces erant *Demosthenes* et *Hyperides* quamque *plerique oratores reliqui* sequebantur, libertatem recuperare studebat ideoque non desistebat seditiones ac bella movere contra Macedones; haec, in qua erant opulentissimi quique cives et *Aristoteles ejusque discipuli*, paucorum vel opulentorum potentiae favebat cum Macedonumque regibus et ducibus faciebat. Hae duae factiones tanto in sese ardebant odio et ira, ut, quotiescunque altera de altera victoriam reportasset, victores in victos vehementissime saevirent eorumque principes, duces, fautores aut interficerent, aut in exilium expellerent. Atque ex hac ipsa re etiam philosophorum expulsionem optime ac facillime explicari, recte intellexerunt Jonsius et Richterus[1]); quod ut planius exponam, res eo tempore Athenis gestas, quatenus ad sententiam nostram confirmandam pertinent, persequi breviterque enarrare necesse est.

Philippus, rex Macedoniae, quum proelio ad Chaeroneam an. 338 ante Ch. facto universae Graeciae libertatem finisset, magna moderatione et clementia usus est quum in ceteros Graecos, tum praecipue in Athenienses, quibus et captivos gratis remisit, et bello consumtorum corpora sepulturae reddidit. Super haec Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque jungerent, Athenas misit. Sed Thebanos, qui ab ipso defecerant, asperius tractavit; nam principes hujus civitatis alios securi percussit, alios in exilium egit.

---

1) Nam quod *Schoellius* (histoire de la littérature Grecque, tom. II. pag 149 vers. Pinder.) dicit, philosophos idcirco esse expulsos, quod in nimiam scholarum varietatem discesserint, nulla omnino veterum auctoritate confirmatur.

Exules, qui suis rebus favebant, in patriam restituit. Ex horum numero trecentos judices rectoresque civitati dedit.

Alexandro regnante etiam Athenis *popularium principes* vexari coepti sunt. Nam Philippo occiso, Thebani, qui ab eo expulsi erant, in patriam reversi cives suos impulerunt, ut rebellarent[1]). Sed Alexander eos proelio vicit victosque crudelissime tractavit, quare permulti ad Athenienses profugerunt, a quibus contra interdictum regis, ne quis profugos recipere auderet, recepti sunt. Hauc rem ita graviter tulit Alexander, ut bellum deprecantibus Atheniensibus ita demum remiserit, ut *oratores*, in his *Demosthenem* et *Lycurgum*, et duces, quorum auctoritate et fiducia permoti toties rebellarent[2]), sibi dederent; sed *Demadis* opera, quem Macedonum rebus studuisse satis constat, eo tamen res deducta est, ut, retentis oratoribus, soli duces, in eis Charidemus, in exilium ejicerentur.

Demosthenes, etsi cum ceteris oratoribus ex hoc periculo est ereptus, tamen non effugit exilii poenam. Anno 324 a. Ch. *Harpalus*, ob direptos thesauros regios, quorum custodiam Alexander ei crediderat, iram regis metuens, Athenas confugit magnaque pecuniae vi in oratores dispertita refugium sibi paravit. Hunc Antipater, quem Alexander, in Asiam proficiscens, Macedoniae et Graeciae praefecit, ab Atheniensibus expoposcit. Demosthenes, qui, quum de excipiendo Harpalo ageretur, eum non excipiendum censuerat, jam Harpali partes amplexus, eum tueri studuit. Harpalus occasionem nactus est effugiendi. Quo facto Athenienses, iram regis et Antipatri metuentes, oratores acceptae ab Harpalo pecuniae accusatos damnaverunt. Atque ipse etiam De-

1) Arrian. I, 7.
2) Arrian. I, 10. Diod. Sic. XVII, 15. Justin. XI, 4.

mosthenes (utrum merito ac jure, an arte Antipatri, nondum satis liquet[1]) eodem crimine accusatus quinquaginta talentis damnatus est; quam pecuniam quum solvere non posset, in exilium abiit. Pulso patria Demosthene, populares, principe ac duce suo orbati, inferiores esse coeperunt.

Mox tamen ea rerum commutatio facta est, ut Demosthenes in patriam revocaretur. Nam Alexander, reversus ab India, epistolas in Graeciam scripsit, quibus omnium civitatum exules, quorum numerus viginti millium fuisse traditur[2]), praeter sacrilegos et homicidas, restituerentur. Diodorus Siculus[3]) Alexandrum hoc fecisse dicit, tum ut gloriae suae inserviret, tum ut multos in unaquaque civitate benevolentia sibi devinctos haberet numerumque eorum augeret, qui cum ipso facerent adversus rerum novarum studiosos et rebellantes. At recitatae praesente universa Graecia in Olympiis epistolae magnos motus fecerunt, quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant, verentibus iisdem principibus, ne revocati potentiores in republica fierent[4]). Inprimis vero Athenienses hanc rem tam moleste ferebant, ut, mortuo paulo post Alexandro, Hyperidem in Peloponnesum mitterent, qui Peloponnesios in societatem armorum sollicitaret. Etiam Demosthenes exul hunc secutus eloquentia sua adjuvit plurimasque

---

1) Plut. Demosth. XXV sq. Diod. Sic. XVII, 108 seq. Just. XIII, 4. *Becker*, Demosthenes als Staatsmann und Redner, p. 113. sqq. — *Gast*, History of Greece tom I, p. 148 sqq. — *Droysen*, Geschichte Alex. d. Gr. p. 529 sqq. — *Schlösser*, Universalh. Uebers. t. I, part. III, p. 153 sq. *Hermann*, Lehrb. der griech. Staatsalt. § 174.

2) Diod. Sic. XVIII, 1.

3) XVIII, 8.

4) Justin. XIII, 5.

civitates Atheniensibus junxit et eam ob causam in patriam revocatus est. Jam *oratores* et *populares* Athenis *potentiores in republica facti* eo rem deduxerunt, ut *plebs*, vehementi Macedonum odio incensa, *dissuadente opulentorum factione*[1]), universae Graeciae libertatem bello recuperandam esse decerneret; atque ita *bellum Lamiacum* exortum est (Ol. CXIV. 2 — 3; a. Ch. 323 — 322).

Exardescente hoc bello statim nobilissimus Macedonum amicus, *Aristoteles*, Athenis excedere coactus est. Haud alienum erit a re, hoc loco *Stahrii*, viri doctissimi, verba transscribere. Is autem dicit[2]): Ein Opfer dieser (den Makedoniern feindseligen und zum Kampfe für die Freiheit geneigten) Stimmung des athenischen Volkes wurde sogleich Anfangs Aristoteles. So lange sein mächtiger Beschützer lebte, hatte es keiner der zahlreichen Feinde des Stagiriten gewagt, öffentlich gegen ihn aufzutreten. Jetzt aber, da die Furcht vor dessen weitreichendem Arme sie nicht mehr schreckte, war der längst erwartete Zeitpunkt gekommen, wo sich der Hass der ganzen antimakedonischen Partei, vereint mit des Philosophen Privatfeinden, gegen ihn, den von Alexander und Antipater so hoch begünstigten Makedonierfreund, wandte. Dass Aristoteles bei den athenischen Patrioten nicht wohl angeschrieben stand, dass diesen vielmehr seine Verbindung mit Makedonien ein Dorn im Auge war, ergibt sich aus allen Umständen. Da aber sein befreundetes Verhältniss zu jenen beiden Männern, wenn man anders einen Schein Rechtens bewahren wollte, keinen Grund zu einer öffentlichen Anklage gegen ihn abgeben konnte, (indem man dem vorsichtigen Aristoteles in jenem

---

1) Diod. Sic. XVIII, 10.

2) Aristotelia, part. I, pag. 143 sqq. addend. p. 290. — cf. *Bruckeri* Hist. crit. phil. part. II. lib. II. cap. VII, Sect. I. §. 7.

Verhältnisse, weswegen man ihn hasste, nichts Strafwürdiges nachweisen konnte), so griff man zu dem in Athen gegen Philosophen nahe liegenden Mittel, religiöse Dinge mit in das Spiel zu ziehen. Als Werkzeug bediente man sich des Hierophanten Eurymedon, welcher den Philosophen der Gottlosigkeit anklagte. Aristoteles fand aber zum Glücke Gelegenheit, durch ungehinderte Entfernung von Athen dem über ihn einbrechenden Sturme zu entgehen, indem er sich nach Chalcis in Euböa begab. Dies geschah nach Apollodor Olymp. 114, 3, d. i. 322 v. Ch. zu Anfang[1]). Die Anklage fällt in den Beginn des Lamischen Krieges, dessen für Athen unglückliche Entscheidung erst gegen Ende des Jahres 322 erfolgte, also nach Aristoteles Tod, der kurz vor des Demosthenes Tod, also etwa in die Monate August oder September desselben Jahres fallen dürfte[2]).

Hanc equidem sententiam, rerum et temporum rationibus satis firmatam, sequor atque rejiciendam censeo conjecturam, qua *ante* Alexandri mortem Aristotelem Athenis cessisse statuitur.

Igitur *Sophistarum* (i. e. *rhetorum* sive *oratorum*) et *popularium invidia et potentia* factum est, ut Aristoteles impietatis accusatus Athenis profugere cogeretur. Neque vero diuturna fuit oratorum et popularium victoria et potentia. An. 322 a. Ch. mense Septembri Antipater junctas Graecorum copias apud Cranonem proelio vincit, quo facto Athenienses se suaque omnia victoris potestati permittunt. Antipater, *sublata populi potentia praesi-*

---

1) Probabilius Ol. 114, 2; i. e. 323 a. Ch. — Cf. Dionys. Hal. tom. II. pag. 121. ed. Sylb. — *Brucker*, l. l.

2) Si Plutarchum (in vita Demosth. c. XXVIII.) auctorem sequimur, pugna ad Cranonem facta est mense Septembri; mense Octobri praesidium Macedonum Athenas occupavit; IX. Cal. Decemb. Demosthenes venenum sumsit.

dioque in Munychia collocato, rempublicam *paucis* administrandam tradit, quorum princeps erat *Phocion* cum *Demetrio Phalereo* et *Demade oratore. Ceteri oratores*, in his Demosthenes et Hyperides, veriti, ne dolor populi super accepta bello Lamiaco calamitate in auctores defectionis verteretur, antequam Antipater Atticae appropinquaverat, ex urbe discesserant. Ac recte quidem fecerunt; nam paulo post, Demade auctore, ab Atheniensibus aut capitis damnati[1]) aut exilio multati[2]) sunt; Antipater omnes occidi jussit, excepto *Dinarcho*, qui, *quum Macedonum rebus faveret*, Athenis remanebat[3]). Judicia popularia et *oratoriae exercitationes* sublatae vel certe circumscriptae sunt[4]).

Restituta per Antipatrum optimatum potentia factum esse puto (si quidem verum est, quod traditur, omnes Aristotelis discipulos una cum praeceptore Chalcidem concessisse ibique Theophrastum successorem loci sui et magisterii ab eo esse delectum)[5]), ut Theophrastus scholae Peripateticae curam Athenis susciperet.

Antipater, quum supremum vitae diem appetere sentiret, neglecto Cassandro filio, Polysperchontem successorem in imperio designavit. Quam rem aegre ferens Cassander, patre mortuo (Ol. CXV, 2; a. Ch. 319), bellum movet contra Polysperchontem, qui, gravius fore hoc bellum ratus, ut Graecorum benevolentiam auxiliumque sibi compararet, legatis civitatum Graeciae promisit, se, *sublata paucorum dominatione*, *liberam reipublicae formam esse redditurum.* Ita factum est, ut Athenis

---

1) Ut Plutarchus et Suidas tradunt.

2) Ut narrat Corn. Nep. in Phoc. c. 2.

3) Dionys. Hal. in vit. Dinarch.

4) κατέλυσε (Antipater) τὰ δικαστήρια καὶ τοὺς ῥητορικοὺς ἀγῶνας. Suid. v. ημάδης. — cf. *Wachsmuth*, Hell. Alterth. I, 2 p. 418.

5) Gellius XIII, 5. — *Brucker* l. l. sect. II, §. 2. not. q.

populares Polysperchonti faverent, optimates cum Cassandro sentirent. Interim Cassander a Polysperchonte Macedonia pellitur, quo facto *populus Atheniensis superior factus statim magistratus ducesque adversariae factionis aut exilio multat, aut capitis damnat, atque rempublicam administrandam popularibus tradit.* In his, qui capitis damnati sunt, fuit homo probissimus, *Phocion*, qui, quum ad Polysperchontem confugisset, ab *Agnonide rhetore* proditionis accusatus[1]), vinctus Athenas deductus est, ubi a *popularibus*, qui, sub Antipatri imperio a republica submoti atque adeo in exilium ejecti, maxima in eum, quem hujus rei auctorem fuisse putabant, ira exacuebantur, tumultuario ac violentissimo modo, *quod post bellum Lamiacum effecisset, ut patria servitute opprimeretur et popularis administratio abrogaretur*[2]), capitis damnatus et supplicio affectus est (Ol. CXV, 3; a. Ch. 318). Una cum Phocione etiam Nicocles, Thudippus, Hegemon, Pythocles, *quod Phocioni amici essent*[3]), damnati et ad supplicium traditi sunt; alii, in his *Demetrius Phalereus*, absentes capitis damnati sunt. Damnatus Phocion ejusque amici testes locupletissimi nobis sunt, quam temere et tumultuarie eo tempore perversa ac depravata Atheniensium civitas judicia exercuerit quamque facile eo furoris atque insaniae potuerit perduci, ut viros integerrimos, qui omnino nihil peccaverant, nisi quod factioni potentiori ac dominanti non favebant, aut patria ejiceret, aut ad supplicium daret.

Eodem fere tempore factum esse opinor, ut etiam *Theophrastus* accusatione vexaretur. Namque Diogenes

---

1) Plut. in Phoc. c. 33; Corn. Nep. in Phoc. c. 4.

2) Diod. Sic. XVIII, 65. 66. 67, Plut. in Phoc. c. 33 sq. Corn. Nep. l. l.

3) Plut. l. l. c. 34.

Laertius[1]) memorat, Theophrastum ab *Agnonide* impietatis esse accusatum, sed paulum abfuisse, quin Athenienses, quibus gratiosissimus esset Theophrastus, ipsum accusatorem condemnarent. Vix dubitandum esse puto, quin Agnonides, accusator Theophrasti, idem fuerit, qui inter accusatores Phocionis primas egit et paulo post mortem ejus supplicio affectus est. Quod si verum est, nullum aliud tempus reperiemus magis commodum, quo Theophrastus accusaretur, quam illud ipsum, quo, oppressa optimatum factione, Agnonides, rhetor idemque inimicus philosophi, confisus popularium potentia, sperare poterat, fore, ut adversarium impietatis accusatum urbe expelleret; quae ratio tam prospere cesserat Eurymedonti ad Aristotelem expellendum. Quod autem Theophrasti accusator causa cecidit, facile explicatur ex ea re, quod Theophrastus, hucusque remotus a rebus publicis, neminem praeter rhetores offenderat atque adeo gratiosissimus erat Atheniensibus. Accusatio igitur nihil aliud, nisi calumnia existimabatur esse, cujus ansam rhetori fortasse praebuit Theophrast. charactt. cap. XVI. περὶ δεισιδαιμονίας[2]), vel libellus quidam περὶ εὐσεβείας, quem Theophrastus ad probandam vel defendendam Peripateticorum de sacris faciundis sententiam videtur edidisse; qua de re alio loco uberius tractare in animo est.

Non ita multo post mutata mente ac voluntate Athenienses judicii de Phocione facti poenituit; nam intelligebant, quem praefectum, quem prudentiae ac justitiae custodem perdidissent. Itaque Phocioni statuam posuerunt Agnonidemque capitis damnatum ad supplicium tra-

---

1) V, 37.

2) Characteres enim hoc fere tempore a Theophrasto esse conditos, satis probabile est. Vid. *Casaub.* ad Theoph. char. c. VIII. et *Astius* in Prolegg. pag. 29 — 33.

diderunt[1]). Factum hoc esse puto, postquam Cassander, Antipatri filius, auxilio Antigoni Polysperchontem vicit populumque Atheniensem coegit, ut se dederet (Ol. CXV, 3; a. Ch. 317). Nam, victo Polysperchonte, *optimates superiores facti sunt* populoque persuaserunt, ut pacem cum Cassandro iniret ea conditione, ut, *abrogato popularibus magistratu, Demetrius Phalereus, amicus Phocionis, Theophrasti discipulus, Atheniensium reipublicae praeficeretur*[2]). Hic doctus vir Atheniensium rempublicam exsanguem jam et jacentem sustentavit[3]) iisque, quum humanissimum se praeberet in cives urbemque reditibus et aedificiis augeret, adeo satisfecit, ut trecentas sexaginta statuas ei ponerent. Etiam literae et artes liberales Demetrii favore ac patrocinio egregie colebantur; *maxime autem ea aetate viguisse puto scholam Theophrasti*, cujus discipulus, amicus et patronus erat Demetrius. Nihilo tamen secius leves et mutabiles Atheniensium animi, oppressa popularium factione nihil praetermittente, quin civium invidiam et iram in Cassandrum et paucorum dominationem concitaret, aleret, augeret, acerbissimum in Demetrium Phalereum ejusque familiares conceperunt odium. Unde factum est, ut *Demetrius Poliorcetes*, quum, ab Antigono patre ad Graeciam liberandam missus, Atheniensibus libertatem, leges patrias et popularis reipublicae formam se esse redditurum promitteret, supinis brachiis urbe exciperetur et Demetrius Phalereus fuga salutem petere cogeretur (Ol. CXVIII, 2; a. Ch. 307 exeunte)[4]).

---

1) Plut. in Phoc. c. 38.

2) Diod. Sic. XVIII, 74.

3) Cic. de rep. II, 1. 2.

4) cf. Diog. Laert. V, 76 sq. Strabo lib. IX. Plut. Dem. c. 8. sq. *Wachsmuth*, I, 2. pag. 413 sq. *Dohrn*, de vita et rebus Demetrii Phal. Kiel, 1825.

Restituta deinde per Demetrium Poliorcetem *populari potestate Macedonumque praesidio*, quo potissimum nitebatur Cassandri imperium, *ex Munychia ejecto*[1]), tanto Athenienses in singulare imperium odio[2]) ferebantur, ut Phalereum urbe profugum capitis condemnarent et statuas, quas eidem posuerant, omnes uno die everterent[3]).

Igitur odio potissimum singularis imperii, Atheniensium animis insito atque innato, factum est, ut Demetrius Phalereus, quum decem per annos bene tractasset reipublicae gubernacula, patria profugus capitis damnaretur. Eodem odio factum est, ut, *quicunque usu et familiaritate cum Phalereo erant conjuncti, vel de rebus publicis cum eo consentiebant*, in judicium vocarentur. Plerique, in his *Dinarchus* orator, fuga salutem petierunt[4]); alii crimine sunt absoluti. In hoc numero fuit *Menander* comicus, qui nullo alio crimine arcessitus erat, *nisi quod amicus esset Demetrio*[5]).

Atque hoc quidem tempore etiam *Theophrastus* cum ceteris philosophis ex Athenis cedere coactus est. Nam paulo post ejectum Demetrium Phalereum, Ol. CXVIII, 3; a. Ch. 306[6]), *Sophocles*, Amphiclidae filius, legem

---

1) Suidas v. *Δημήτριος*.

2) Diog. Laert. V, 76. *Σφόδρα δὲ λαμπρὸς ὢν (Δημήτριος) παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ὅμως ἐπεσκοτίσθη καὶ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ τὰ πάντα διεσθίοντος φθόνου* sq. — Aelian. var. hist. III, 17. *Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεὺς καὶ Ἀθήνησιν ἐπιφανέστατα ἐπολιτεύσατο, ἔστ᾽ ἂν αὐτὸν ὁ συνήθης Ἀθηναίοις φθόνος ἐξέωσεν.* — Strabo lib. IX. *ἀλλ᾽ οὕτως ὁ φθόνος ἴσχυσε καὶ ἡ πρὸς ὀλίγους ἀπέχθεια, ὥστε μετὰ τὴν Κασσάνδρου τελευτὴν ἠναγκάσθη φυγεῖν εἰς Αἴγυπτον.*

3) Dio Chrysost. orat. XXXVII, pag. 465.

4) Dionys. Hal. vit. Dinarch.

5) Diog. Laert. V, 79. *Μένανδρος ὁ κωμικὸς παρ᾽ ὀλίγον ἦλθε κριθῆναι δι᾽ οὐδὲν ἄλλο ἢ ὅτι φίλος ἦν αὐτῷ.* Idem familiaribus Phocionis crimini esse datum, supra commemoravi.

6) Ut recte statuerunt *Petitus*, *Larcherius*, *Corsinius*, quorum

tulit, ne quis philosophorum scholae praeesse auderet, nisi senatui populoque placuisset. Ex Diogenis Laertii verbis: μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ, apparet, *legem Sophocleam solos philosophiae praeceptores spectasse, hosque non sine ulla exceptione Athenis scholas habere esse vetitos, sed solummodo si quis publicam docendi facultatem non impetrasset.* Equidem sine dubitatione affirmaverim, hanc legem *Peripateticos* eorumque principem, *Theophrastum,* potissimum spectasse latamque eo esse consilio, *ut Theophrastus cum discipulis urbe excedere cogeretur.* Haec mea sententia comprobatur argumentis et rationibus, quibus Sophocles legem tulisse videtur latamque defendit Demochares.

Sophocles, ut infra demonstrabo, vel ipse orator, vel certe factionis oratorum et popularium erat. Magnum autem inde ab Aristotele Peripateticos inter et oratores popularesque erat odium, natum partim ex aemulatione et invidia quaestus, quum Aristoteles ejusque discipuli etiam dicendi artem, hucusque a solis rhetoribus traditam, profiteri coepissent[1]; partim ex diversa Peripateticorum et oratorum populariumque de republica sentiendi ratione: namque Aristoteles ejusque discipuli singulare imperium sive μοναρχίαν optimam reipublicae formam

---

sententia confirmatur verbis Alexidis comici: πολλ' ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ Δημητρίῳ, i. e. *Poliorcetae.* cf. *Jonsius* de scriptt. hist. phil. lib. I. c. 19, 1. *Wachsmuth.* I, 2. pag. 414.

1) Aristoteles et Theophrastus scripserunt de arte rhetorica, Diog. Laert. V, 24 et 48. Quint. III, 1. — Peripateticorum exercitatio elegans (in eloquentia) jam inde ab Aristotele est constituta. Cic. orat. 36, 127. — Aristoles itemque Theophrastus cum philosophia dicendi etiam praecepta conjunxerunt. Cic. Div. II, 1. — Peripatetici adjumenta atque ornamenta dicendi ab se peti vincunt oportere. Cic. de orat. 1, 10, 43. cf. Acad. 2, 36, 115.

esse existimabant[1]) ideoque regum et imperatorum Macedonum partes sequebantur atque adeo usu familiaritatis cum iisdem erant conjuncti, Aristoteles cum Philippo, Alexandro, Antipatro; Theophrastus cum Cassandro[2]). Inde factum est, ut Aristoteles, nomine impietatis accusatus, Athenis pelleretur, ut Theophrastus ab Agnonide rhetore eodem crimine arcesseretur. Atque eadem aemulatio et quaestus invidia eademque diversa de republica sentiendi ratio etiam Sophocli causa fuit legis contra philosophos ferendae. Prior legis causa elucet ex verbis Alexidis comici: *διότι τοὺς τὰς τῶν λόγων δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις εἰς κόρακας αἴρειν φασὶν ἐκ τῆς Ἀττικῆς·* his enim verbis philosophorum, inprimis Academicorum et Peripateticorum (qui quondam iidem erant)[3]), operam, quam arti oratoriae navabant, significari, nemo non videt. Alteram causam legis Sophocleae videre licet ex fragmentis orationis, qua Demochares Sophoclem violatarum legum accusatum defendit; quae fragmenta, quum disputationi nostrae haud parum lucis afferant, transcribere hoc loco non erit alienum. Apud Athenaeum[4]) haec legimus: *Εὐάγων δὲ ὁ Λαμψακηνὸς, ὥς φησιν Εὐρύπυλος καὶ Δικαιοκλῆς ὁ Κνίδιος ἐν εἰκοστῷ καὶ πρώτῳ διατριβῶν· ἔτι δὲ καὶ Δημοχάρης ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ ὑπὲρ Σοφοκλέους πρὸς Φίλωνα, δανείσας τῇ πατρίδι ἀργύριον ἐπὶ ἐνεχύρῳ τῇ Ἀκροπόλει, καὶ ἀποστερήσας τυραννεῖν ἐβουλεύετο, ἕως συνδραμόντες*

---

1) *Stahr*, Aristot. I, pag. 186 — 189. *Ritter*, Geschichte der Philos. part. III. pag. 365 sqq.

2) *Aristocles* apud Euseb. praep. evang. XV, 2: *φανερὸν οὖν, ὅτι καθάπερ πολλοῖς καὶ ἄλλοις, οὕτω καὶ Ἀριστοτέλει συνέβη, διά τε τὰς πρὸς τοὺς βασιλεῖς φιλίας καὶ διὰ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ὑπεροχὴν ὑπὸ τῶν τότε σοφιστῶν φθονεῖσθαι.*

3) Cic. Off. III, 4. 20.

4) XI, 15. pag. 508 sq.

ἐπ' αὐτὸν οἱ Λαμψακηνοὶ καὶ τὰ χρήματα ἀποδιδόντες ἐξέβαλον. Τίμαιος δὲ ὁ Κυζικηνὸς, ὡς ὁ αὐτὸς Δημοχάρης φησὶ, χρήματα καὶ σῖτον ἐπιδοὺς τοῖς πολίταις καὶ διὰ ταῦτα πιστευθεὶς εἶναι χρηστὸς παρὰ τοῖς Κυζικηνοῖς, μικρὸν ἐπισχὼν χρόνον ἐπέθετο τῇ πολιτείᾳ δι' Ἀριδαίου· κριθεὶς δὲ καὶ ἁλοὺς καὶ ἀδοξήσας ἐν μὲν τῇ πόλει ἐπέμενε παλαιὸς καὶ γεγηρακὼς, ἀτίμως δὲ καὶ ἀδόξως διαζῶν.

Sine dubio ex eadem Democharis oratione desumta sunt, quae refert Eusebius[1]) ex Aristoclis Peripatetici libro septimo de philosophia: τὴν μὲν γὰρ Δημοχάρους κατηγορίαν κατὰ τῶν φιλοσόφων τί χρὴ λέγειν; οὐ γὰρ Ἀριστοτέλην μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους κακῶς εἴρηκεν. ἔτι γε μὴν αὐτὰς τὰς διαβολὰς σκοπῶν ἄν τις ληρεῖν αὐτὸν φαίη· λέγει γὰρ ἐπιστολὰς Ἀριστοτέλους ἁλῶναι κατὰ τῆς πόλεως τῆς Ἀθηναίων, καὶ Στάγειραν τὴν πατρίδα προδοῦναι Μακέδοσιν αὐτόν· ἔτι δὲ κατασκαφείσης Ὀλύνθου, μηνύειν ἐπὶ τοῦ λαφυροπωλείου Φιλίππῳ τοὺς πλουσιωτάτους τῶν Ὀλυνθίων.

Ex his fragmentis apparet, Democharem in Sophocle defendendo id egisse, ut Atheniensibus persuaderet, philosophos regum et tyrannorum rebus studere proditionemque moliri; quam calumniam ut probaret, exempli causa philosophos, qui illud fecissent, *Euagontem*, *Timaeum*, *Aristotelem*, Platonis discipulos, nominat. Quum autem hi philosophi, quos ut proditionis reos ad sententiam suam confirmandam affert orator, eandem, quam Theophrastus, professi essent disciplinam[2]), quumque proditionis suspicio in nullum Demetrii Phalerei aetatis philosophum magis deberet cadere, quam in Theo-

---

1) praep. evang. XV, 2.

2) Peripatetici enim et Academici veteres, nominibus differentes, rebus congruebant. Cic. Acad. I, 4. 17. ibid. 18; ibid. 6, 22. Acad. II, 5. 15. Fin. IV, 3.

phrastum, tyrannorum, ut oratoribus et popularibus videbatur, praeceptorem, socium ac familiarem: apparere mihi quidem videtur, Democharis orationem inprimis Peripateticorum eo tempore principem, Theophrastum, spectasse. Quod si verum est, concludi inde licebit, Sophoclem quoque legem suam eo potissimum tulisse consilio, ut Theophrastus cum discipulis ex urbe cedere cogeretur atque ita Peripateticorum schola Athenis dissolveretur. Probatur haec sententia ea etiam re, quod *Philion* Sophoclis accusator exstitit; is enim erat *familiaris* vel *discipulus* (γνώριμος) *Aristotelis* et fortasse idem ex Alopeca[1]) Philion, qui inter testes testamenti Theophrastei nominatur; certe a vero haud aberrabimus, si eum inter Theophrasti amicos fuisse opinamur. Quod autem *Demochares*, *Demosthenis sororis filius*, *orator idemque adversarius Aristotelis omniumque, qui Macedonum rebus favebant*[2]), defensoris partes suscepit, argumento nobis est, Sophoclem ipsum vel oratorem, vel certe factionis oratorum et popularium fuisse; unde patet, legem illam contra philosophos ex hac factione esse profectam.

Summa igitur disputationis nostrae haec est: Athenis inde a Philippi Alexandrique temporibus duae erant factiones, quarum altera liberam rempublicam defendebat, altera Macedonum imperio favebat; illam oratores, philosophi, inprimis Peripatetici, hanc sequebantur. Partim hac ex re, partim ex aemulatione et invidia quaestus, quum Peripatetici etiam artem oratoriam docerent, magnum Peripateticos inter et oratores natum est odium, quod quidem in unaquaque rerum commutatione vehementia crevit atque effecit, ut alteri alteros urbe ejicere

---

1) oppidum (δῆμος) Atticae.

2) *Stahr*, Aristot. II, 291 sq. *Ruhnk.* Hist. crit. orat. Graec. pag. 357. Ed. Friedem.


studerent. Inde factum est, ut oratores, saepius expulsi et reversi, data opportunitate Aristotelem et Theophrastum, quum nullo alio crimine possent argui, impietatis accusatos expellere conarentur. Quae accusatio quum ad Theophrastum expellendum non valuisset, oratores et populares, quorum odium et ira persecutionibus periculisque, quibus sub Theophrasti discipulorum et amicorum imperio erant obnoxii, magis magisque incendebatur, jam, recuperata post expulsum Demetrium Phalereum libertate, opportunum odiosissimi philosophi vexandi atque expellendi tempus nactos se esse rati, aliam atque Agnonidis, eandemque certiorem viam sibi incundam esse decreverunt. Itaque unum ex ipsorum numero, Sophoclem, Amphiclidae filium, subornarunt, qui, quum nullius criminis Theophrastus posset convinci, legem ferret, qua omnes philosophi, qui scholas vellent habere, facultatem hujus rei a senatu populoque impetrare cogerentur; sperabant, fore, ut Theophrasto, in cujus discipulos et amicos, Demetrium Phalereum, Dinarchum, Menandrum, flagrantes Atheniensium animi vehementissime saevirent, nunquam haec facultas daretur; quare Athenis eum excedere foret necesse.[1]). Neque fefellit illos haec spes; nam Theophrastus, sive quod non impetravit, sive quod non quaesivit docendi facultatem, Atheniensium urbe excessit; una cum eo excesserunt reliqui etiam philosophi, indignantes, puto, ereptam sibi docendi libertatem. Non ita multo post, quum Athe-

1) Simili fere ratione Critias ad Socratem vexandum usus esse fertur, cujus rei mentionem facit Xenophon, memor. I, 2. 31. ἐμίσει τὸν Σωκράτην ὁ Κριτίας, ὥστε καὶ, ὅτε τῶν τριάκοντα ὢν νομοθέτης μετὰ Χαρικλέους ἐγένετο, ἐν τοῖς νόμοις ἔγραψε, λόγων τέχνην μὴ διδάσκειν, ἐπηρεάζων ἐκείνῳ, καὶ οὐκ ἔχων ὅπῃ ἐπιλάβοιτο, ἀλλὰ τὸ κοινῇ τοῖς φιλοσόφοις ὑπὸ τῶν πολλῶν ἐπιτιμώμενον ἐπιφέρων αὐτῷ, καὶ διαβάλλων πρὸς τοὺς πολλούς.

nienses expletis animis ad sese rediissent, Philion, Aristotelis discipulus vel familiaris, Sophoclem violatarum legum accusavit. Causam Sophoclis defendit Demochares orator, qui hoc potissimum Atheniensibus persuadere conatus est, jure ac merito philosophos esse expulsos, inprimis Theophrastum, quippe qui ejusdem generis sit proditor, cujus Euagon, Timaeus, Aristoteles. Nihilo tamen minus Athenienses ad sanitatem reversi, perspecta oratorum arte et calumnia, Sophoclem decem talentis multarunt et, lege ejus abrogata, reditum philosophis decreverunt, *ἵνα καὶ Θεόφραστος κατέλθῃ καὶ ἐν τοῖς ὁμοίοις ᾖ*[1]. His verbis Diogenes videtur significare, legem Sophocleam Theophrasti potissimum gratia esse abrogatam, qui quidem, reversus in urbem, tantum apud populum valebat gratia et auctoritate, ut et Dinarchus per eum redeundi facultatem se impetraturum posset sperare[2]), et Athenienses exsequias ejus publice prosequerentur[3]).

1) Diog. Laert. V, 38.
2) Dionys. Hal. in Dinarch.
3) Diog. Laert. V, 41.





END

TITL